

latos, Liberos, Ministeriales, & Communitates Forojulii electi fuerunt XXIV. videlicet VI. pro Clero, VI. pro Liberis, VI. pro Ministerialibus, & VI. pro Communitatibus, ut quidquid per illos tractaretur, & mandaretur super facto dictæ veræ & pacis, attenderetur & observaretur. Qui ordinaverunt die tunc crastina, quod pro verâ faciendâ, & defensione, & honore, ac bono statu Ecclesiæ Aquilegiensis, & fautorum ejus, de quolibet Manso omnium indifferenter solvi deberent xx. solidi Veronenses. Quod postea stabilitum fuit, & solutum.

*De treguis.*

Quæ verâ concordata fuit anno Domini M.CC. LXXXV. & pronunciatum in Civitate die XI. Martii, seu proclamatum, quod omnes irent secure Venetias, & quo vellent.

*De transmutatione Fratrum Minorum in Civitate.*

Anno Domini M.CC. LXXXIV. Indictione XII. die Jovis XIII. intrante Januario, in Octava Epiphaniæ, quidam Fratres Minores circa sex, vel plures convenerunt Civitatem, qui morabantur extra Civitatem apud Ecclesiam S. Francisci. Venerunt circa horam vespertinam, imo post, & ante crepusculum, primo ad habitandum in domo & Curia D. Vodolrici Cadubrini, Præpositi S. Petri de Carnea; quam emerant ab eo Priorissa Sandrina & Sorores S. Petri quondam de Poloneto, habitantes apud S. Panthaleonem. Pro qua domo & Curia, & etiam non pauca pecunia per ipsas Sorores dictis Fratribus persolvenda, eadem Priorissa & Sorores emerunt pro se ad habitandum locum dictorum Fratrum, ubi ipsi morabantur apud S. Franciscum juxta Civitatem, cum Ecclesia, Claustro, ædificiis, viridario, & pertinentiis suis integre in eodem loco. Et hæc facta sunt consensu & auctoritate Vener. Patris D. Raymundi Patriarchæ Aquilegiensis.

*De receptione habitus S. Clare, consecratione, & inclusione dictarum Sororum.*

Anno Domini M.CC. LXXXIV. Indictione XII. die quarto intrante Junio, in Octava Pentecostes, præsentibus Venerabilibus Patribus Dominis, F. Fulchero de Zuccula Episcopo Concordiensi, D. Ulvino de Civitate Episcopo Tergestino, & D.... Episcopo Petenensi, & aliis quampluribus; Rev. Pater D. Raymundus Dei gratia Patriarcha Aquilegiensis dedit habitum Regulæ S. Clare primo Priorissæ Sardinæ, & aliis Sororibus olim de Poloneto: & consecravit easdem, videlicet Priorissam Sandrinam, Floren. Aldam, Saldam, Reginam, Adeleytam, Catherinam, Agnetem, .... Benvenutam, Hilicuzam filiam Gliriffuti, Bernardinam; & easdem primo inclusit ibi.

*De penitentibus nudis se verberantibus.*

Anno Domini (a) M.CC. XC. in Festo Sancti Andreæ, venit primo D. Alquinus Decanus Aquilegiensis cum penitentibus nudis se verberantibus Civitatem: & statim Civitatenſes inceperunt se etiam verberare; ita quod infra octo dies fuerunt de Civitate se verberantes bene L: & per totum Forojulii in Civitatibus, Castris, & Villis idem factum est, & infra viginti dies. Initium hujus verberationis dicitur fuisse Perosæ (b).

Tom. II.

(a) Redit Chronici Scriptor in seriem Chronologicam.

(b) Hujusce piæ institutionis initium ad annum 1260. referunt Monachus Patavinus, Jacobus de Varagine, Ricobalus Ferrarientes, Franciscus Pipinus, alique Anonymi Chro-

Anno prædicto fuerunt omnes discordiæ sedatæ, & etiam inter Dominum Patriarcham & Comitem Goriciæ: & intantum, quod innocentes & inculpabiles cum nocentibus & culpabilibus penitentiam postulabant. Et tam in nocte, quam in die per Ecclesias circumeuntes, & per Terras, quibusdam velatis capitibus & personis ne cognoscerentur, dorso & spatulis usque ad singulum discoopertis, ubi se affligebant verberando . . . . . sanguinis; quibusdam vero in strabulis tantum, flentes & Dominum deprecantes, incedebant. Mulieres se in crepusculo in Ecclesiis convenientes idem faciebant, & quædam occulte in domibus suis.

*Quando facta fuit Campana S. Sylvestri.*

Anno Domini M. CC. XC. Magister Johannes Tergestinus, tempore D. Alberti Sacerdotis, & Conradi quondam Asidolfi Caneparii Ecclesiæ S. Sylvestri, fecit Campanam prædictæ Ecclesiæ, de voluntate & consensu totius Communis Curæ Ecclesiæ antedictæ, quarto die intrante Martio in supradicta Ecclesia ante Tertiam.

*De captione D. Vodolrici de Mimilano.*

Anno Domini M. CC. XC. Dominus Comes de Goricia cepit D. Vodolricum de Mimilano in quadam Ecclesia, quæ est sub Cormons, duodecimo die intrante Martio.

*De Tricesimo.*

Anno Domini (b) Millesimo Ducentesimo Octuagesimo nono, Indictione secunda, die quarto decimo intrante Martio, venit Vir Nobilis D. Albertus Comes Goriciæ de Carinthia Tricesimum cum magna multitudine hominum, equitum, & peditum. In nocte vero tunc subsequenti combusta fuit tota villa Tricesimi, cum Ecclesia & Cortina sibi adjacente, a gente dicti Comitis. Mane autem facto, cum sua gente ivit versus Aquilegiam, & permansit in villa Cervignani usque ad Festum S. Georgii: gens cujus ivit depradando per Forojulii semper, donec in Villa supradicta permansit.

*De nudis se verberantibus.*

Anno Domini M. CC. nonagesimo, die octavo intrante Aprili, quidam Civitatenſes decem, vel duodecim inceperunt primo se verberare apud Ecclesiam S. Panthaleonis clam: & paulo post multi in Civitate se verberare cœperunt in nocte. Deinde inceperunt crescere, & processionaliter verberantes prædicti iverunt Glemonam ad quamdam Indulgentiam, & venerunt per Utinum Civitatem. Deinde cœperunt se verberare per totum Forojulium. Mulieres vero in nocte se verberabant.

*De Heremita S. Stephani.*

Anno Domini M. CC. XCII. Alsubetta, neptis Dominæ Lucardis, fecit sibi fieri heremitorium, prius apud S. Stephanum: & fuit clausa per Magistrum Julianum, Thesaurarium Civitatenſis Ecclesiæ, in Festo Assumptionis S. Mariæ, anno præscripto.

*De captione Terre Caprularum.*

Anno Domini M. CC. XC. (c) Indictione III. die duodecimo intrante Aprili, in Aurora, Curso-

g

res

nistæ apud Lodovicum Muratorium in collectione Scriptorum Italiæ. Vide Odoricum Raynaldum ad eundem annum 1360. num. 6. & seqq.

(c) Sic in Codice. Chronologiæ calculi optime cohærent